



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de**

**Antverpiae, 1638**

Candido Lectori S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)



CANDIDO  
LECTORI  
S.



Vbiungimus Canticis in hac editione postremâ , ac per modum Appendicis damus , Septem hos PSALMOS quibus Rex DAVID solemnes Triumphorum, Nuptiarum, Sacrorum pompas miro Lyrici carminis artificio decantauit. Materia his eadem est cum CANTICIS: si CANTICA (vt vult beatus Augustinus) læto semper constare debent argumento. Titulus insuper vtrisque communis, cùm eiusmodi PSALMI promiscuè CANTICVM PSALMI, vel PSALMVS CANTICVM nuncupentur.

Vario genere carminum has Epipompeuticas Odas expressimus : Glyconio , Epodo, Anacreontico, ac Sapphico Pomparum Choris accommodatissimo versu ; & qui peritis auribus Hilarem illum Rhythmum referat, quem veteres *Lesbium pedem* dixerunt, vulgus nostratum *quinque passus* appellat. Et verò si periculum facere lubeat , reperies Strophen



Strophen Sapphicam ad vnguem saltationis eius numeris respondere. Sic intelligendus, aliorum pace, mihi videtur Flavius Iosephus, dum libro septimo Antiquitatum Dauidem memorat bellis defunctum Triumphales aliquas Odas Pentametro, id est Sapphico versu condidisse. Non enim adduci possum vt credam, Iosephum hîc loqui de Pentametro illo carmine, quo flebiles Elegi terminari solent. Odas scripserit Dauid Elegiaco caractere? Ridiculum. Hoc etiam, vt opinor, innuit Præfatione in librum Iob, Diuus Hieronymus; qui Iosephi & Philonis fretus testimonio, Dauidem affirmat in morem Alcæi & Sapphus Lyrico metro decurrere, interdumque Græci Pindari ad instar assurgere; dum ore profundiori, & Dithyrambico spiritu, Hymnos Dei Maiestati votiuos perfoluit. Maiorem tamen à nobis sanctus Hieronymus iniisset gratiam, si rationem aliquam metiendi carminis Hebraici paulò accuratius tradidisset. Quotusquisque enim hac nostrâ tempestate verum Hebrææ Poëseos artificium intelligit? Fatetur ipse Cardinalis Bellarminus in suis Institutionibus ad Linguam Sacram, penitus iam ignorari veterem illam Hebraicam Musam; quæ tota cælestis, & germana Dei filia, ab ipsius Numinis inexhausto fonte promanauit.

In



In eo nunc sum, ut aliqua eius vestigia  
per altissimum obliuionis puluerem impres-  
sa, tentabundus explore. Faue Lector be-  
neuole,

— dum tibi res antiqua laudis & artis  
Ingredior, sacros ausus recludere fontes;  
Hebraumque cano Romana per oppida car-  
men.

